



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1626**

Theophrastus. Capvt XXXVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

Theophrastus.

CAPVT XXXVI.

*Theoph. dicitur antea Tyrannus.**Ad duo milia auditorum habuit.**Morientis extrema verba. Vide Laersium.*

**T**heophrasto nomē dedit loquendi diuinitas, cū antea Tyrannus vocaretur. Hic in Aristotelis sinu educatus ingenio acri, veloci, & plane igneo, ad eam gloriam effloruit, vt non sine causa à Cicerone Philolophorum eruditissimus, & elegantissimus fuerit appellatus. Quippe cum magno præceptori successisset, magnus, & extra omnem ingenij alcā discipulus, ad duo auditorum milia habuit, totius Græciæ frequentissimo concursu celebratus. Atque inter has eloquentiæ laureas, vir facundissimi oris consenuit, & cum annum octogesium excessisset, moriens tamen acufase naturam dicitur, quod Ceruis, & Cornicibus diurnam vitam, quorum id nihil intereret; hominibus, quorum maximè interfuisset, tam exiguam dedisset. Tum conuersus ad discipulos, *in vita plus esse dixit vanitatis, quam vtilitatis, amore autem gloria nihil esse inanius,* atque inter hæc verba animam exhalauit, pulcherrimè, si quando alias, philosophatus. Character eius politus est, amœnus, elegans, totus affluens veneribus: tum præcipuè in exprimendis, effingendisque hominum moribus, pollet dexteritate quadam singulari, ex quo Theophrasto tantopere delectatus est Cicerō, vt eum amicū suū, & delicias nominaret. Cumque oris adeo rotundi esset, & plane attrici, sapuit tamen pronuntiatio aliquid peregrinum, & Eresum, inde enim erat oriundus. Itaque cum percontaretur ex anteuilla quadam, quanti aliquid venderet, & respondisset illa, atque addidisset hospes non posse minoris, tulit molestè se non posse effugere hospitis speciem, cum ætatem ageret Athenis, optimeque loqueretur.

Demetrius Phalereus.

CAPVT XXXVII.

**T**heophrasti sœtus Demetrius Phalereus vir politissimi ingenij, qui reipub. Atheniensem magna imprimis gloria administravit. Nam illi quot anni curruit dies, tot sunt erectæ statuæ, lenocinante principij fortuna. Sed mox rotæ turbine excussus, inconstantia rerum humanarum fidem fecit: nam treccu-

ta, & sexaginta statuæ, quæ eius nomini erant politæ, partim contritæ sunt, partim etiam in maculas conflata.

Ipse extorris in Aegypto aspide ad corpus admota, vita priuarus est. De eius stylo nihil clarius dici potest, quàm quod à Cicerone pronuntiatum est.

Successit, inquit, senibus adolescens Demetrius Phalereus eruditissimus ille quidem horum omnium, sed nō tam armis institutus, quàm palestræ: ita delectabat magis Athenienses, quàm m. . . : processerat enim in solem, & puluerem, non vt e militari tabernaculo, sed vt e Theophrasti doctissimi hominis umbraculis. Hic primus inflexit orationem, & eam mollem, teneramque reddidit, & suaui, sicut fuit, videri maluit, quàm grauis. Addit eius sermonem, quasi stellis verborum illuminari, quo testimonio nihil potest esse grauius. Vtinam præclari ingenij monumenta extarent pleniora: nam qui circumfertur liber de elocutione, non est meo quidem iudicio Demetrii Phal. sed alius ex his X I I I. quos commemorat Diogenes Laert. hoc vel illud vnum arguit, quod initium libri sit satis politum, finis confusus, & ineptus. Deinde is author quisquis fuit, Demetrii Phal. testimonio vitur in hoc libello ( quicquid dicat Victorius) prudentis scriptoris modestiam non saperet, si Demetrio tribueretur.

Deinde sui in tertia persona sine vlla declaratione non meminisset. Ab eo tempore peregrinatam dicunt eloquentiam varias insulas peragrassè, & externis se moribus obleuisse. Verum postquam Græcia sub Imperatoribus suppresso armorum studio, tota in literis consenuit, Nusquam maior vis eloquentiæ, nusquam vehementiores ingeniorum emissiones existerunt. Floruit illis temporibus Amaltheæ cornu Dion Pruseus. Floruit Herodes Atticus, cuius omnes sophistæ particulæ quædam videbantur: floruit præcox naturæ miraculum Hermogenes, & Eustarius Cappadox Saporis triumphator, & Proæresius viua quadam, & spirans Mercurij imago, magnus denique eloquentiæ artifex Libanius, & ipsæ Apostatæ nomine notior Iulianus, qui omnes magni in dicendo extiterunt, cum alijs innuncris, quos apud Philostratum, & Eunapium licet legere. Absit tamen vt istos cum nostris Basilij, Gregorij, Chylostomij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, audeam commiscere, quibus peculiaris in sacra eloquentia locus debetur.

Nunc